# AUGURELLI (Giovanni Aurelio) CHRYSOPOEIA (2056 vers)

Le texte donné ici est celui, numérisé, proposé par *Poeti d'Italia* et par *Perseus Collection*, que nous avons pu, pour le rendre scandable, revoir et abondamment corriger grâce aux excellentes photographies de l'édition Vénitienne de 1515 données par le site *Camena* de l'Université de Mannheim.


IOANNIS AVRELII
AVGVRELLI
P. ARIMINENSIS
CHRYSOPOEIAE LIBRI
.III.

## PROLOGUS

Auriferam parvis animi pro viribus artem
quaesitam nobis et longo tempore partam,
ut rerum involucris tantarum evolvere moles
se potuit, claro perhibentes carmine nuper
lusimus, et Musis hanc commendavimus almis,
quod nulli ex omni numero fecere priores.
Cumque operi auctorem, cujus sub nomine tutum
pergeret, optarem (foret et res praeside digna
ipsa ex se magno, variaque hinc mente tenerer
cui merito cuncta haec et non ingrata dicarem),
interea nobis tute velut aethere ab alto
missus ades mundi fessis succurrere rebus :
qui belli scelerumque faces, incendia tanta
exstinguas, placidamque piis sperare quietem
des populis, solidamque per aurea saecula pacem.
Cuive etiam, si parva licet componere magnis,
ad sanctos haec nostra pedes ars aurea tendat,
ut quo te fidei sacrae nunc coetus honore
Prosequitur cunctus, hoc te veneretur, et omni
ipsa tuum pro me cultu sic numen adoret.
Hanc igitur, si non immensa negotia prorsus
impediunt, permitte, precor, se prodere tantum,
quo tibi, detracto veluti velamina virgo

nobilis ingenuo vultum perfusa ruborem,
occultum incipiat semel ostentare decorem.
Haec etenim prima quanquam se fronte legenti
non adeo ostendat, paulum tamen ipsa reclusis
detecta arcanis, mira et gratissima pandit.
Quam si forte legens, interdum nomina divum
offendes, quos vana olim coluisse vetustas
dicitur ; extemplo haud renuas, sacra optima quanquam
exerces, veramque fidem ; cultumque tueris.
Illa etenim tanquam priscis consueta vocari
Vatibus, enixe quos tunc imitabar, adivi
supplex, et paribus curis in vota vocavi.
Materies etiam solitum conquirere Solis
et Lunae auxilium, necnon Vulcania velle
arma videbatur, quorum implorare favorem
fas erat : et mihi jam per te licuisse, sit id nunc
concessum, et venia dignum peccasse fatenti.
Mox tamen hinc aliud quaesitum ad carmina numen,
et precibus solum cunctis quandoque vocatum
forte aderit, praesens fuerit si gratia caelo,
tanta mihi. Magnum multo seu carmine Mosen,
seu quem flagranti vectum super aethera curru
mirati videre patres, oculisque sequuti
aera per purum, caeli discindier oras,
astrorumque globos intro aspexere micantis.
Seu qui voce palam porrectoque indice prodit
venisse auxilio jam tum mortalibus agnum,
ipse canam, vatem quamprimum matris in alvo
exsultantem, et adhuc puerum ad deserta ferentem
antra pedes, puri mox et Jordanis ad undam
dignatum caput illius contingere lympha,
qui proprio antiquam nobis sic sanguine labem
abluit, ut scelerum maculas absterserit omnis.
Nomine cujus item tibi quondam et moribus aucto
defuit haud unquam favor, ac caelestis abunde
Gratia, qua tantum meritis conscendere culmen
posses, et justas mundi regere unus habenas ;
magnanimos aequans propria virtute Leones,
Pontificum decus egregium jam saepe repertos
esse, nec Italiae sub iniquo tempore, et usquam
Christicolis ullo prorsum in discrimine deesse.
Haec sed erunt mihi cum dicendi facta potestas
jam fuerit, dabiturque loqui, quae jusseris ipse
Sancte pater, cujus nobis stant omnia nutu.
Interea certis hominum vis ulla ne possit
indiciis aurum facere, et mutare metalla
percipias primum. Dehinc quae secreta laboret
ars id perficere, et naturam aequare potenti
ingenio, inspicias. Demum qui rite sequatur
hinc modus assiduis doctisque laboribus artem
pervideas, et quo tandem experientia ducat.
Omnia quae gnaro passim tibi certa patebunt,
si quo haec inter se nexu, quove ordine constant,
ipse acie, qua cuncta soles discernere, mentis
inspectans, parvum non dedignabere munus
quod tibi non parva offerri super arte laboro.

# LIBER PRIMUS

CH_1

Humana experiens naturaeque aemula virtus
aurum num vere faceret, qua fideret arte,
quisve modus foret : est animus quaerentibus ultro
dicere, quaque palam vestigia nulla priorum
apparent, proferre pedem. Vos numina gressum
dirigite, est hominum quibus experientia curae.
Tuque adeo in primis, auro cui plurima tellus
spargitur, et vasto venas sub corpore condit
siderei succo plenas meliore metalli,
Phoebe ades. Et tecum accelerans non passibus aequis
alma soror, gravis argento cui saepe fatiscit
orbis item, summaque ostentat brachia terra
candoris grato aetherei fucata colore.
Tu quoque nec coeptis Cylleni audacibus usquam
defueris. Tibi nam puro de fonte perennis
rivulus argentum, vulgo quod vivere dicunt,
sufficit, et tantis praestat primordia rebus.
Denique tu pater ignipotens, quem fervida flammis
antra juvant, tentisque expressae follibus aurae,
fornacesque incudesque et liquefacta caminis
massa aeris ducti aurique electrique recocti
invictum exercent semper : tu maxime praesis
artifici vatique simul tua facta canenti.
Nil sine te solers ars incohat : eia age sanctum
conjugis ut tecum pergat descendere numen
effice, quam penes est generandi plena potestas.
Haec mihi ne cursu naturae avertar, et usquam
declinem, ostendet quot constent cuncta, quibusque
principiis, quaeve hinc ineunda est semita, quantus
sit modus : ut certam capiant humorque calorque
temperiem, cujus suavi perfusa vigore
omnia, perpetuo fetus in saecla propagant.
Tu molli e gremio surgens uxoris amatae,
arte pari prorsus genitalem imitaberis ignem.
Per te sublimi pendent in vase metalla :
per te eadem triti specie sub pulveris imo
fundo haerent : eadem per te calefacta liquescunt.
Tu mihi, tu lentum solus pater alme calorem
intendes, et cum tempus dabis, ipse remittes.
Tu princeps operis tanti, tu carminis esto
principium, fervens dulcis mihi spiritus oris
exstet, eatque virum per te Vulcane per ora
nec tu non faveas tantis aequissima votis
prisci perpetuum saecli decus heroine,
quam circum exsultant laudata ad flumina Nymphae
Minciades, Phoebique chorus comitatur euntem,
aut fovet Andino recubantem in gramine Manto
laeta trium nodo neptem complexa sororum :

sic mihi jam gradibus crescent incepta secundis,
nec rerum series illis, aut copia deerit,
et sua scribendis accedet gratia rebus.
Immensum primo caeli quodcumque sub orbe
seu simplex fertur corpus, seu corpore constat
multiplici, tendit sobolem proferre, diuque,
quaque potest, augere genus, speciemque tueri.
Namque ubi materiem sparsus comprehenderit ignis
victor agit flammis, donec convertat in ignem.
Inficit humectatque liquor, nec deficit usquam
quin in se quicquid tetigit (ni major ibidem
vis obstet) vertat, tenuesque effundat in undas.
Sic aer, sic terra sibi conferre laborat
undique, sic longo cuncta in se tempore transfert.
At quae compositis constat, quaecumque feruntur
vivere ; de propriis vel semina stirpibus edunt :
ut fecunda Ceres, ut germen fertile Bacchi ;
vel sibi consimiles natos animantia gignunt,
ut bellator equus, bos ut bene junctus aratro,
utque hominum proles mira et caelestis origo.
Haec inter variant, quae nec primordia rerum
exstant, quaeque frui vitali sorte negantur :
ut media quaecumque sedent tellure metalla,
quique latent miro grati fulgore lapilli.
Nullo namque genus sobolemve augere putantur
semine, sed cunctos aevi torpere per annos.
Verum haec ipsa etiam secreto vivere quivis
sentiat, et vita divino munere fungi,
haec et oriri eadem si contemplabitur, et si
augeri ex sese, penitusque increscere cernet,
ut mox e variis patefactis nosse licebit.
Quod si non sobolem educunt, non caetera vertunt
in semet, causa est, quod multa spiritus illic
materie abstrusus, vitam qui porrigit omnem,
explicat aegre ex se vires, ni vivida promat
has hominum virtus densa sub mole latentis.
Hoc etenim quicquid diffunditur undique caeli
aeraque et terras et lati marmoris aequor
intus agi referunt anima, qua vivere mundi
cuncta putant, ipsumque hac mundum ducere vitam.
Ast animae quoniam nil non est corporis expers,
mundus, at et mundi partes quoque corpore constant :
spiritus haec inter medius fit, quem neque corpus,
aut animam dicas, sed eum, qui solus utroque
participans in idem simul haec extrema reducat.
Hic igitur maria, ac terras, atque aera et ignem
vivereque, augerique, atque in se cuncta referre
semper avet ; semper stirpes, animantia semper
gignere, perpetuamque sequi per saecula prolem.
Denique sic etiam fulvo detentus in auro
ipse manum cupit artificis, qui vincula solvat,
et qui se propria reddat virtute potentem.
Quod siquis properans hunc artis viribus umquam
explicet, atque diu tepido post incoquat igni,
continuo aspiciet, visu mirabile, vitam
auro impertiri longo cum seminis usu :

nec deerit, quin ex auro sibi procreet aurum.
Quod cum ita constiterit, durate et credite dictis
intenti artifices, et res sperate secundas.
Jam patet his, ut non tantum sub montibus aurum
natura efficiat, sed ut id quoque prodeat arte :
quoque modo id fieri possit, quandoque docebo.
Interea, ne quid nobis quaerentibus obstet,
quominus his adhibere fidem sit forte necesse,
quae contra soleant dici, nunc omnia solvam.
Mox eadem validis grata experientia signis
impetet, et gravium sententia prisca virorum,
delebit, referens quae jam videre parentes
ipsi oculis, manibusque simul tetigere beati.
Atque hinc incipiens cuncta haec ex ordine pandam.
Nil mirandum aeque, quam si quod longa peregit
annorum series genitali semine coeptum,
audeat illud momento idem protinus horae
ars facere, ac proprio naturam vincere cursu,
quem tenuit tanto in spatio per grandia terrae
viscera, summa eadem servans vestigia ab ima
sede, per anfractus tantos, ac caeca per antra.
Nec minus his mirum siquis primordia possit
scire, quibus constet puri genus omne metalli,
atque ea componens, aurum dum conficit arte,
mensura exaequet, necnon et pondere libret :
metitur quibus haec natura, et ponderat unis.
Quid locus ? An quisquam poterit fornace calorem
aequare ? Exiguis qui circumducta caminis
nunc loca terrarum perfertur, nunc petit altam
tellurem, mox et supraque infraque refertur
unus, et inserto distendit cuncta tepore.
Quis potis est umquam tanta omniparentis apisci
munera naturae ? Quae vis mortalibus umquam
tanta fuit ? Non ipsi etiam, qui numina caelo
dejicere in terras conati, vellere ab imis
jam potuere suis montes radicibus altos,
invitae auderent sacra in penetralia terrae
tendere, scrutarique piae secreta parentis.
Adde, quod in varias mutari corpora formas
natura haud patitur : neque enim velocis equi bos
induerit speciem piger, aut Parnasia laurus
in se Chaoniam poterit convertere quercum.
Nec magis aes puro se commutaverit auro,
quam si quodque etiam queat a quocumque creari.
Haec sunt quae a caelo missam divinitus artem
conantur frustra indiciis tenuare pusillis.
At neque scire opus est (quamquam haec sit noscere pulchrum)
quae quibus exstiterint gignendis ultima rebus
principia, aut quali fuerint ea lance recepta
in numerum et pondus. Neque enim si farrea tractes
semina, constituant quae far primordia quaeras ;
quave ea conveniant mensura et pondere farri.
Farra sed ipsa putri mandabis condita terrae, et
virtutem latitantem intus seseque moventem
irritans tantum, naturae caetera linques.
Nec longinqua adeo spatiosi temporis aetas

convenit huic operi, vires quod promit ab auro :
ac non principiis e primis conficit aurum.
Quis si nobilius quoddam, quod praestet et ipsi
auro, contendant proprio molimine summi
perficere artifices ? Apte cui nomen elixir
experti fecere Arabes, verique dedere
indicium : id quoniam in melius quodcumque metallum
ducit, et infectum mira depurat ab arte.
Sic neque spectandus nobis locus ille, calorque,
quo calet inclusum semen genitale metalli,
quique diu fertur specubus tellure sub alta,
ast alio prorsum ducendi tramite gressus
naturae pariter secessus inter et artis,
qua simul ad metam prospectans utraque ducit.
Denique nec speciem verti tunc arte putaris,
aere, vel argento duci si videris aurum ;
sed privum hoc privo fieri ex aere atque argento
aurum credideris, veluti si farris in agro
infelix lolium et steriles nascantur avenae :
aut si forte boum videas per viscera toto
stridere spes utero et ruptis effervere costis :
aut ut plura sinu molli simul ova puellae
rite fovent, multus tenero sub pectore bombyx
palpitat, et lecta nutritus fronde virentis
dehinc mori, tenui texto se velleris orbe
implicat, ac tandem pedibus munitus et alis
papilio de verme pedes volitansque recedit.
Quid si cuncta etiam sint uni subdita formae,
quae specie vulgo perhibent differre metalla ?
E quibus exstiterit quodcumque impurius, atque
sordibus infectum terrestribus, exuet omnem
arte luem citius, purumque nitescet in aurum.
Atque ideo haud nescire opus est, quibus abdita terris,
et quibus e causis sunt, et quot sorte metalla,
qua varie primo fuerint distincta sub ortu.
Sed quis in arcanos terrae descendat hiatus ?
Quisve referre pedem possit loca taetra remensus ?
Veridicove queat fari quae viderit ore ?
Vos Musae, quas nosse decens et dicere par est
omnia, vos divae nulli memorata priorum
dicite : sic vobis ipse aurea vasa sacerdos
prima feram, aeternum sic aurea carmina durent.
Lynceus, ut fama est, visu praelatus acuto
omnibus, e summo Siculi qui culmine montis
Poenorum in portus oculo contendere posset,
et numerare etiam versantis litore puppes.
Hic simul oppositas moles, simul edita saxa
inserta montes acie penetrabat ad imos,
altaque secretae spectabat viscera terrae,
aera per purum veluti, vitreasve per undas
aut liquido quondam crystallo missa videmus
spectra, quibus rerum nobis respondet imago.
O quoties patrii residens sub rupe Pachyni
Trinacriamque omnem supra speculatus et infra
Aetnei causas ignis motusque videbat !
Qui simulac tanta vi se procul omnia sensit

cernere, non ultra cunctandi certus, et alte
providus, externas animum convertit ad oras.
Ergo ratem certa plenus spe magna videndi
conscendit, pelagique deos in vota salutat.
Sicanio verum portu vix solverat, ecce
cum fera tempestas caelique marisque legentem
Graiorum ob portus, Epiri vertit ad urbes.
Hanc Arethusa illi Nymphas hortata marinas
immisit : Nymphisque etiam adnitentibus ipsis
et totum ex imo passim miscentibus aequor.
Namque illas metus in thalamis ne forte videri
aequoreis possent invaserat aequus, et omnis
tum chorus obscura septum caligine caelum
texerat, ac noctem nautis obduxerat atram.
Hinc ille aerii properans it proxima Pindi
culmina spectatum ; nec longum tempus, et omnis
interius Rhodopes, Haemi, Tomarique cavernas
fontibus irrigui centum procul inde videbat,
oraque cernebat terrae in penetralia centum.
Quin Pindo exoriens aderat Achelous ab ipsis
sedibus ante oculos et ab imo viscere Lynceo,
altera qui longo retinet taurina recessu
cornua, seque alte exporgens immensa per antra
occulit Herculeae metuentem verbera clavae.
Ille etiam lento praecelsa Ceraunia passu
circuit, et visu simul interiora petivit
omnia : mox Graiae variis in montibus orae
consedit, penitusque cavis rimatus inhaesit
obtutu specubus, mirandaque plurima primus
vidit, et haec eadem nobis memoranda reliquit.
Quae dum aliis ad nos olim delata vicissim
prodimus, ante omnes haec intro prorsus ab illis
spectari cupimus, quibus alto in pectore Pallas
insidet, atque illic scitu pulcherrima versat.
Principio locus et sedes decreta metallis
gignendis, terrae est imum atque immobile viscus
marmoreae in morem paterae sub montibus altis
excisum, velutique cavo sub fornice clausum,
quo solis radii penetrant, crebrique feruntur
siderei innumeris etiam fulgoribus ignes,
collectumque coquunt humorem, ac jugibus inde
saxa per et rimas loca cuncta vaporibus explent.
Ast ubi continuum passus vapor ille calorem
consedit, nec jam secreta per antra volutus
amplius, immensos post tandem induruit annos.
Haeret in expletis venis informe metallum.
Namque liquor partes terrae dispersus in omnis,
et tenuis mixtus tenui, lentoque calore
compositus, quondam fugiens et pinguis et unctus
exiit e vasti fundo crateris ab imo,
sulphura ubi argento fervent immixta perenni,
argento fluere insigni, vitamque per aevum
ducere, queis primis gignuntur multa duobus.
Hoc matris, patris illud enim vim continet : hujus
suscipere, illius pars est praebere calorem.
Hinc fulvi species auri pulcherrima fulget,

hinc nitet argenti candor, rubet aerea vena,
ferrea nigrescit sub apertum, plumbea pallet :
albicat at stanni facies imitata colorem
argenti, pondusque ferens, ni strideret, aequum.
In primis igitur cupidis mortalibus aurum
quaeritur ingentis inter variosque labores,
perque laborantis manifesta pericula vitae.
Namque ferunt Indos, regio qua vergit in Arcton,
tendere furatum cumulos, quos egerit auri
formicarum ingens manus. At non segniter illas
exire, ac contra stare, et fugientia passim
unguibus et rostris lacerare, et figere terga,
aufugiar quamvis celeri gens illa camelo.
Nec minus aut scrobibus curae, vastisve ruinis
Hesperii impendunt, si quando e montibus aurum
eruerint. Neque enim nunc quae ramenta ferantur
fulva Tago expediam ; sed quae majoribus illi
sustineant subjecta laboribus, atque periclis
innumeris, et quae vincant opera ipsa Gigantum.
Nam steriles magno primum conamine montes
excidunt, penitusque petunt, qua nulla dabatur
semita, per cuneos accensis viscera lychnis.
Atque imas nulla Phoebi sub luce cavernas
noctes atque dies penetrant, omnique recessu
explorant aditus, humerisque excissa vicissim
exportant, traduntque aliis longo ordine primi
per tenebras, donec lucem qui percipit unus
egerat extrema pondus cervice receptum.
Ast illos praedura silex si forte moretur,
qualis jam Poeno rupes sese obtulit hosti,
dum ferus aerias in nos transcenderet alpes,
haec igni excoquitur tunc, et mollitur aceto.
Volvitur at picea circum caligine fumus,
et miseris latitans compresso spiritus ore
obstruitur, vitamque operae sub fasce relinquunt.
Atque ideo caedunt ingenti pondere ferri,
et vacuos summae reserant telluris hiatus,
qua vapor inclusus cuneis exhalet apertis.
Nec mora, nec requies, quin multo fornice montem
sustineant totum, cum jam majore peracta
parte operis, caedunt extremae fornicis arcus,
et rima signa praebent, quam pervigil unus
aerio montis residens in culmine sentit.
Hic ictu, aut clara revocari voce repente
cum famulis jubet artifices, ac devolat ipse
protinus, ingenti strepitu longoque fragore
mons cadit, humana nequeat qui mente referri
conceptus, quantumque obtusas occupet aures,
aut incredibili quam compleat omnia flatu.
Illi naturae gaudent spectare ruinam
victores : neque adhuc illinc educitur aurum,
nec scivere etiam tunc, cum federe, vel ante
esse, sed una illos ad tanta pericula duxit
spes invicta omnis per casus, perque labores.
Sed quid in his tantum morer ? Aut quae mira supersunt
praeteream ? Nihilo cum sint his forte minora ?

Quo tantam expurgent immisso fonte ruinam,
est deinceps aliud fessis studiumque labosque.
Jamque igitur summo praecelsi e vertice montis,
qui reliquos longe superet, centesimus etsi
separet hunc lapis, huc immissa canalibus ampla
flumina deducunt tanto currentia tractu
desertas inter valles, perque invia saxa,
rupibus excisis, trabibusque inserta cavatis.
Ergo omnis vario concursu protinus unda
in mare colligitur vastum, quo deinde recluso
erumpit tanta vi torrens, omnia secum
ut trahat, ac latum terrae provolvat in aequor.
Excipitur tendens variis hic denique fossis,
quas illi passimque cavant, sternuntque gradatim.
Est ulex asperque frutex rorisque marini
persimilis, retinet crebris qui stirpibus aurum.
Propterea includunt tabulis latera omnia, et ipsis
alte suspensis ita, per praerupta canali
in pelagus tendunt uda e tellure lacunae :
quod superest, ramis innectitur ulicis aurum.
Nec labor ille etiam tenuis, cum flumina tentant,
et gravibus dites crebris agitantur arenae ;
aut operosum aeque quicquam quis proferat, ut cum
effossis alte puteis quaecumque latenti
eruerint penitus fundo, tunduntque lavantque,
uruntque, in tenuemque molunt diducta farinam ?
Hi quoque jam fuerant Italis quandoque labores
flumina per, puteove etiam, montisve ruinas,
Itala dum patuit priscis exercita tellus.
Cui post quippe pia lege interdicta pepercit
auri sacra fames : neque enim exhaurire metalla
Italiae, parca et prudens est passa vetustas.
Nec foret hac etiam regio fecundior ulla,
quaeve magis flueret venis nunc jugiter auri,
ipsa diu cum tot fuerit non hausta per annos,
si non mortales inter discordia, si non
Mars eat hos inter vexans immania corda.
Sed contra ditare orbem si regibus una
cura sit, et populis ditato fungier orbe,
pacis, opus, qua cuncta vigent inventa per artes
ingenuis aptas animis ; quas inter haberi
non imo dignata loco fortasse putanda est
ipsa haec, quae gravidae scrutatur viscera terrae,
dives ubi pateat latebris auraria caecis.
Hac etenim reliquis pretiosius arte metallum
eruitur, meritoque id cunctis nomine praestat :
seu color inspicitur gratus, quo sidera fulgent ;
seu lentus facilisque tenor, quo cedit in omnis
partes ; seu pondus rerum superabile nulli
penditur ; aut uni quoniam nil deperit auro
igne, velut solum consumit nulla vetustas,
ac neque rubigo, aut aerugo conicit ulla.
Cuncta adeo firmis illic compagibus haerent,
sulphur ubi ardoris posita pinguedine causam
perdidit, et fluidi, quo non velut ante, vaporet.
Ac longo interea decoctum tempore, pura

munditie, et clara perfusum luce nitescit.
Atque ita temperiem summam radicitus humor,
et calor exaequant illi, pariterque colorem
perspicuumque ferunt. Argento nec minus ipsi
vivo etiam terrae partes miscentur in omnis
prorsus aquae partes nullo discrimine junctae.
Hinc calor argenti necnon et sulphuris una
perspicua inter se denset corpuscula parvo
multa loco, simul unde color pondusque resultat,
et longo constans illorum tempore nexus.
His e principiis poteris dignoscere certo
ordine, quo distent inter se quaeque metalla.
Sulphura si fuerint lutulenta, argentaque viva,
principio, inficient pariter quodcumque sub ipsis
gignetur, magis atque magis, quo non calor aequus
concoquet, aut justo quo jam majorve, minorve
durarit perstans multos coctura per annos.
Hinc variae rerum formae, quae nomine quodam,
quod sint saepe simul, Graio dixere metalla.
Singula seu propria speciem sortita seruntur,
et diversa aliis adeo distinctaque perstent :
seu cunctis unum natura semen inhaeret,
et genere haec uno sese specieque tuentur :
nec distant alio nisi quod felicius illud
exiit, hoc misere secum sordentia traxit
principia, atque eadem constans non exuit unquam.
Utraque cum menti sedeat sententia summis
patronis, neque adhuc litem dissolvere judex
quiverit incassum conatus, proxima veris
intuitus neque adhuc, tantum hic natura recessit,
abdidit et gravium sese in penetralia rerum.
Hactenus objectis tantae rationibus arti
responsum ; laeto nunc experientia vultu
prodeat erroris expers, et nescia falli.
Hanc quoque servitum perhibent venisse Prometheo
post famulas, quas ille polo deduxerat artes,
atque diu illum opera famulantis naviter usum.
Verum ubi consenuit, tantum prudentibus illam
ipse viris fertur moriens liquisse volentem.
Hos itaque haec certo docuit facilique periclo
nonnulla inter se immutari ex arte metalla ;
nec tantum haec, verum fieri quandoque per artem
vere aurum, argentumve aliis exemptile rebus.
Est lapis effossus Syriae pictoribus, auri
pigmentum vero quod et ipsi nomine dicunt.
Frangitur attritus specularis more lapilli
in summa ostentans auri tellure colorem.
Hunc tu purgatum docte prius excoque multo
igne, per anfractus longos, qui ducitur usque
quo redeat flammis in se volventibus idem.
Igne olim hoc Caii solertia principis aurum
fecerat, obryzon sapiens cui Graecia nomen
praebuit e rerum inserta virtute receptum :
seu multo quoniam purgatum redditur igni,
seu nulla quoniam maculatum sorde renidet.
Nec pigmentum auri fuit amplius ipse, sed aurum,

qui lapis ante auri tantum simulaverat auram.
At ne forte nimis videamur prisca referre,
carmine perpetuo nobis propiora canamus.
Increscunt haerentque cadis simul undique crustae,
alba quibus longo senuerunt tempore vina.
Has meus euganeae gentis Schola tum decus imo
accipit erasas fundo, costisque vetusti
vasis, et includit purgato fictilis ollae
in medio, atque luto testam circumlinit omnem,
obturatque illi rimas, atque obstruit ora.
Hanc deinde ardenti jubet in fornace diurno
nocturnoque calore coqui, qua vitrea fervet
massa datura olim varias liquefacta figuras.
Verum ubi jam satis est ea visa caloribus usta
perpetuis, illam demit frangitque repente,
moris ut est, spectatque simul num protinus albet ;
et teritur veteris jam faex decocta Lyaei.
Intera sed enim, cunctis mirabile visu,
scintillae, conspersa polo velut aurea signa,
innumerae argenti miro in candore videntur.
Sed quid in alterius visis moror, inque relatis ?
Atque aliena premens nunc per vestigia tendo ?
Vidi ego qui tenues argenti rite tabellas
spargeret et lateris contriti pulvere, et una
huic virides aeris squamas niveasque perusti
contundi micas salis injungique juberet,
pulvereosque aliis grumos e rebus acervans,
quas vetat et ratio, necnon ars ipsa referri :
haec ne sordentis vulgi vilescat in usus,
illa ut non ulli quae sunt caelanda revelet.
Mox ita compositis angusta in pyxide lamnis,
subjicere inclusas arto sub fornice flammas,
quales crediderim torrere ad Tartara sontes,
aut ubi sulphureis diros premit Aetna sub antris.
At postquam ardenti fuerant haec cuncta camino
tosta dies noctesque novem, tum demere massa
ferventem, deque ignis adhuc fervore rubentem
abluere algentis roranti aspergine lymphae.
Quam simul in partis lima diduxerat acri
exiguas, phialae secreta in parte locabat
artificis mire ingenium. Nam desuper undam
fundebat, quae mox argento excerneret aurum.
Tum viridem sensim in laticem liquere videri
argenti vis illa prius compacta, sed imum
vas auri sejuncta gravis ramenta petebant.
Tantus aquae vigor est, tanta illo in pulvere virtus !
Nec forte apparet alibi concordia rerum
clarius, ut nectat quae vix jungenda videntur,
siquis particulas commixti pulveris omnes
computet, et varios illarum existimet usus :
quae tamen hoc unum concordi ex arte tulerunt.
Nec minus, ut rebus proprias discordia vires
auferat, ut molli tenuari dura liquore
viderit, atque brevis consumi protinus horae
momento, et tenues effundi prorsus in undas.
Lympharum vero species haud traditur una.

Namque aliae quaecumque hominum tellure metalla
erutaque et durata manu si tangere crebris
contingat guttis, eadem, mirabile visu !
Aut minuunt in frustra, aut in tenuem ocius undam
dispergunt, liquidoque docent assuescere fluctu.
Sed tamen unum adeo vis haec non inficit aurum :
nam perstat simul incolume, et simul omnibus illinc
sordibus ablutum confestim purius exit.
Est etiam lymphae illius, si credere dignum est,
mira quidem, et nobis non immemoranda potestas ;
quae quodcumque semel purum et sine labe metallum
contigit, argenti tremula sub imagine vivi
cogit in alterius speciem formamque resolvi.
Quid quae de veteri guttatim stillat Iaccho ?
Deinde fimo incoquitur putri, lentoque calore,
donec in aetherei splendori versa colorem,
accipit e summo caelestum corpore nomen :
hac quoque dura ferunt certo mollescere ductu
corpora, quae Phoebi vel quae dignata Dianae
nomine, mortales rebus praeponere cunctis
instituere, quibus pretii mensura pateret.
Nec tamen, haec quamvis ita sint, immune putabis
esse aurum, certo quin ex humore fatiscat.
Acris aquae hoc etiam dirae violentia rodit,
et terit, et liquidas tenuatim vertit in undas.
Verum haec exiguam lucem tibi recta sequenti
praetulerint, veri qua cernere culmina possis ;
quo te discutiens tenebras industria ducit.
Sunt aliae ex aliis quaerendae fontibus undae,
jam quibus ex sese, nulla vi, leniter aurum
humescat, nullo alterius veniente liquoris
auxilio, exterius propria solvatur in unda.
Hoc agite, hinc vobis summam perquirite laudem
divini artifices : haec namque potentia caelo
caelestis descendit aquae, qua cuncta tuentur
robore se proprio, necnon producere fetus
ipsa sibi similes, et in aevum extendere possunt
progeniem, multos fragilem durare per annos.
Nonne vides quanto secum natura tenore
consonet ? Utque modum generandi comprobet unum
semper, et unius vi nitens seminis, uni
serviat una operi, quod et unum nacta quiescat ?
Nec Bacchi si tentet opus, cerealia miscet
semina, nec, Cereris si frumentaria quaerat,
pinguia Cecropiae tractat plantaria divae.
Ordea cui cordi, demum serit ordea, nec tu
nunc aliunde pares auri primordia, in auro
semina sunt auri, quamvis abstrusa recedant
longius, et multo nobis quaerenda labore.
Nec maris immensi reputes, aut nubis aquosae,
vel liquidi fontis similem, quam quaerere lympham
instituis ; neque enim, quod tu observare memento,
inficit illa, liquatve aliquid, cum spargitur, aut id
humectat, propius cui venerit : arida namque
pulveris haec extra in speciem se prodit, at imis
uvida contusi liquet in penetralibus auri.

His olim veteres intenti gnaviter undis
in portum rexere ratem felicibus auris,
ignarosque viae mediis in fluctibus inter
obstantis scopulos frustra liquere natantis.
Hinc multa expertum, necnon et multa docentem,
insula divino Balearis munere misit
alma virum, cujus miro velamine tectus
ipse liquor, quo cuncta madent, jam credere multos
impulit, ut Bacchi candens et limpidus humor
principia ablueret secretae protinus artis.
At non ille quidem sentit, quae dicere prima
est facie visus, neque tunc stillantia vina
miscebat, cum jam praestanti lentus in urbe
Insubrum ternos residens feliciter annos
fecit inexhaustum pondus praedivitis auri.
Ac sociis, quos ipse sibi conjunxerat, aequus
divisit tenuem divini pulveris offam.
Cujus in immensum quota pars traduceret aurum
jampridem quaecumque forent infecta metalla.
Hinc quoque cultus Arabs vitreo de fonte liquorem
desertas inter valles, praeruptaque purum
saxa super ducit, nemorumque occultat in umbra
altorum, densis passim quae vepribus horrent.
Ast alias tamen hic venas ostentat aperte,
uber ubi emanat semper nec inutilis humor :
et te dum variis immensa per avia rebus
detinet intentum, felices praeterit undas,
quas manibus quondam puris haurire solebat
ipse ; nec admiscens aliud, longumque diuque
compositas parva leviter fornace coquebat,
unde opera arcanae naturae occulta reclusit
saepius, et grates diis immortalibus egit.
Sic alii (quos experiendo maxima rerum
visere jam decuit summo quaesita labore),
angustum per iter recto de tramite numquam,
qua prius ingressi declinavere, nec ante
desinere optarunt, licuit quam tangere laetis
tandem exoptatum longo post tempore finem.
Hoc opus, hanc primum tantam mortalibus artem
interpres rerum ostendit sanctissimus Hermes.
Nec latuit tanto duxit quos munere dignos,
edoctos sed jam docuit, penitusque remotos
rebus ab his, tanquam non dignos, terruit omnis
ne peterent quae non umquam contingere possent.
Jamque probos tamen accendens, ut quaerere vellent
quae sciret, veroque ipse deprehenderat usu,
admonuit paucis contentum pergere doctum
artificem, tamquam naturae rite sequentem
certa solo pressis stabili vestigia signis.
Quin etiam humano docuit de corpore pelli
hac omnes valida morbos facilique medela,
servarique diu nitido cum flore juventa,
et senium placidos produci grande per annos.
Nec sanctam violare fidem, nec fallere quemquam
ille potens sacri patitur medicaminis usus.
Hoc sed qui poterit diis adspirantibus uti,

et praestare etiam quoties defecerit, ille
plurima contemnens, et servantissimus aequi
hinc erit, et frugi, curasque eludet inanes :
et dites supra gradiens ditissimus omnis,
pauperiem simulabit ovans, ac saepe benignus
proderit, et miseris latitans succurrere egenis ;
innocuusque aliis sibimet gaudebit adesse,
et facilem ducet momenta per omnia vitam.

## LIBER SECUNDUS

CH_2

Hactenus auriferam secretae Palladis artem
inventam humana quondam virtute coegit
credere nunc ratio, nunc experientia suasit.
Jamque ea quid possit, quo prudens tendere pergat,
hinc canere incipiam, dextro modo numine Phoebi.
Difficiles adeo factu, dictuque per artes
ingrediar, verbis addens et rebus honorem.
Tuque ades, o cultum Musis et Apolline pectus
ante alios olim cunctos divine poeta :
quo duce secretum per iter procedere tantum
ipse queam, ut propius Pimplei culmina cernens
alta jugi, ne quo interea per devia ducar.
Illuc namque animus certa spe ductus anhelat
et fidit gradibus crescentis scandere famae,
nulla aevi quam longa queat delere vetustas.
In primis niveo sparsus candore lapillus
quaeritur, aut longo contritus tempore pulvis
e niveo in liquidum versus candore ruborem.
Illius infecto tenuis pars mixta metallo
inserit argenti subito, mirabile, pondus
et speciem : vel si argento fit proxima vivo,
dedocet hoc fungi liquenti immobile vita.
At ruber ipso etiam pulvis pretiosior auro
quodcumque ex illis primus calefeceris igni,
vertet in immensum pondus tibi protinus auri :
autque ideo artifici majus nihil esse putato,
quam quibus e primis opus id componere possit,
noscere quaeve prius capiat circumque laboret.
Mox ut naturae se tum praebere ministrum
sentiat, exemptum latebris cum nobile semen
proferet in lucem solers, iterumque tenebris
reddet et occulta servatum pyxide claudet.
Cumque alimenta putri sensim dabit humida massae,
agricola ut quondam telluri semine jacto
spargit rore levi tantum sitientia culta.
Nec minus interea tepidum cum suggeret ignem
et genitalem intus vim vi subeunte fovebit,
ut calor interius solet exteriore juvari,
ac stomacho praetenta manus praestare vigorem
ut valet, utque aegri vires relevare caducas

apposita exterius possunt fomenta medentum.
Nec varias specie res admiscebit, et uni
quodcumque obstiterit junctum, procul inde movebit.
O tardas adeo mentes, assuetaque falli
artificum vario rerum per inania ductu
pectora, cum duris quid mollia vina metallis ?
Apta epulis atque apta bibi suavissima vina.
Quid levis humano missus de corpore sanguis ?
Quid lapsi e rosea flavi cervice capilli ?
Ova quid ? Et lectae summis in montibus herbae
conveniunt imis fosso sub montibus auro ?
Hic tamen expressam praelis torquentibus uvam
accipit et phialae postrema in parte reponit,
cujus in extremo rostrum connectitur ore.
Hanc super ignitos cineres candente camino,
aut super undosum laticem ferventis aeni
collocat : at tenuis fertur vapor intus et haerens
alta petit, leviusque liquens infusus in undas,
ardentemque vocant lympham vitaeque liquorem,
vitrea quem raris effundit fistula guttis.
Hic ergo ut multis vicibus stillaverit, una
collectus varios tandem servatur in usus :
praecipue vero, modico lentescat ut igne,
sive fimo incoctus nulla non arte tepenti.
Fingitur oblongo vitreum vas ductile collo,
bina unde, exiles velut ansae, brachia pendent
concava, quae ventrem vasis flectuntur ad imum.
Hic igitur liquor inclusus cum summa per ora
fertur, continuo binas inclinat in aures,
ingreditur, repetitque iterum, quas liquerat imo
fundo ferventis lymphas, iterumque refertur
ad supera, atque levis nusquamve quietus eamdem
itque reditque viam toties, et mobilis idem
ipse in se sua per vestigia confluit humor,
donec paulatim niveam densetur in offam.
Tenuibus haec tandem lamnis componitur auri
et coquitur lento forsan, longoque calore.
Verum hoc ne, an ne alio quovis ea denique pacto
commiscent (namque hoc haud est exquirere nostrum),
incassum cuncta exercent frustraque laborant.
Nam specie diversa simul dum jungere curant,
altera ut impediant primo mox altera motu
efficiunt, ullo ne possint tempore quicquam
edere, quod per se natura constet et unum.
Namque ita principio statuas cuncta esse sub una
re, quibus hic opus est, nihil ut quaesiveris extra,
praecipue humorem, qui sese jugis abunde
sufficit, atque intus servat, dum prodeat illud,
quod cupis et gigni tanto conamine certas.
Quin etiam duplicem scito vim intrinsecus esse,
et quae semper agat, et quae patiatur, ut una
femina, masque agitent : veluti cum pullus in ovo
crescit agente quidem hoc, atque hoc patiente vicissim,
exterius tantum miti atque fovente calore
adjutus. Neque tu quid convenientius ullum
exemplo hoc credas, neque quod me judice semper

acrius inspectes, atque ad quod cuncta reducas.
Ast alius puro varias de sanguine partis
elicit, atque adeo ductas elementa vocare
instituit, tamquam possint ea forte videri
simplicia, aut tangi manibus, secreta vel usquam
esse, vel includi quoquam : quin protinus omne
vas penetrent, duro quamvis adamante peractum
id fuerit. Simplex neque enim consistere corpus
parte potest orbis vasti violenter in ulla,
sed propria tantum gaudens in sede quiescit.
Sic saepe ex aliis rebus, sic saepe seorsum
quattuor e tonsis ponunt elementa capillis.
At non sic natura potens haec segregat umquam,
sed miscet potius simul, et confundit eodem
frigida commutans calidis, humentia siccis,
atque ita corrumpit solidum, nec dividit ullas
in partis, servans genitalem seminis illi
vim, qua corrupto corpus de corpore gignat :
namque ex quo quicquam genitum est, id putruit ante.
Quid qui conatur quaesitae longius herbae
invalido aufugiens argentum sistere succo ?
Idque gelat duratque simul, sed figere nulla
arte potest, ictu quo molli ducere possit.
At non quod solidum faciat, vel ductile, tantum
quaerendum est, sed quod videatur posse priorem
auferre, atque illi defecto inducere formam
mox aliam, et puri speciem donare metalli.
Sulphura quid memorem longo detersa labore ?
Nitraque, purgatosque sales, tostasque Lyaei
longaevi faeces, vel quae atramenta calenti
accensa effundunt guttas e vase rubentis ?
Hinc solvunt, iterantque vices, ac saepe resolvunt ;
deinde lavant, iterumque terunt, mox figere tentant,
in calcem vertunt etiam, missoque vapore
in sublime ferunt tenuati corporis aurem.
Compositos varia videas hinc lege caminos
innumeros, totidemque luto lita vitrea vasa.
Quaeque sibi vertit faber argentarius usu,
sordidiusque aliae quicquid fabrilibus artes
exercent curis, nostri arripuere, suisque
insani ascivere laboribus, atque ita semper
sulphur olent, semper faciem fuligine tincti
horrendas atra simulant ab imagine larvas.
Nec miseram magis affirmes veraciter ullam
artem aliam, quam quae externis Alchimia verbis
dicitur, obscurisque tegens ambagibus errat
avia per, miserosque trahit per iniqua sequentes ;
ac tandem ejectos in caeca barathra relinquit.
Ut videas quandoque bonum sua praedia civem
vendentem, patriasque domos, mercesque repostas,
fornaces inter versari, ac follibus auram
captare, in tenuemque, nefas, convertere fumum
rem, dubias dum quaerit opes insanus, avitam.
Difficilem interea conjunx maestissima vitam
protrahit, illacrimant nati, fit sordidus ipse
e lauto, ludusque patens et fabula vulgi.

Quare agite exemptam tenebris hanc cernite lucem
mortales, caecisque viis avertite gressum,
ac prohibete nefas tantum, et depellite virus,
infectum quo vulgus iners se posse per artem
divinam miscere manus putat, abdita rerum
quae valet et causas adeo spectare latentis.
Hanc non impuris manibus fraudator avarus
attingat, decoctor item, quisquisve fabrili
arte valet, mollisve etiam, cui perdita cordi
otia, mercatorve vagus, vel deditus urbi
civis, et incumbens telluri arvisque colendis,
et qui multa animo praesertim et magna minetur ;
vel si qui similes haec vulgo quaerere sueti
fraude mala tantum, vel habendi prorsus amore.
At sapiens, superos in primis qui colat, et qui
noscendis penitus causis modo gaudeat, hunc se
conferat, hanc totis sectetur viribus artem.
Huic comes haerebit gravis exploratio rerum
intima naturae passim vestigia servans :
tum mora sollicitos cursus remorata sequetur,
et visura olim stabilis patientia finem :
mox labor, ingenuosque movens industria gressus
haud aberit : vitreumque feret vas scilicet unum,
unum opus atque unam secum rem denique ducet.
Ille igitur tanto comitatu septus inibit
longum iter, et lento pervadens omnia passu
continue miris oculos mentemque repertis
pascet, et assiduum fallent spectata laborem ;
donec in arcana tectos tellure recludet
thesauros ignotum argenti pondus et auri.
Eloquar ? An vulgo prorsus non credita versu
expediam primus ? Nec erat cum talia coepi
jam fari, mens ista mihi ; sed compulit ordo
integer, ut dictis etiam majora revelem.
Ille ergo ulterius procedens, ultima rerum
secreta inveniet, queis se natura peractis
oblectat, gemmasque pari confinget ab arte.
Ac nisi dicendis superessent multa metallis,
gemmarum forsan causas, sedesque referrem
sepositas, quibus in specubus natura beatis
ludit, et in nulla magis hac mirabilis usquam
parte valet summas variando promere vires.
Perspicuae ut tellus lymphae commixta minutim
pura ferat gemmas, ut caeli motus, et ardor,
sidereusque situs certam praescripserit illis
sedem gignendis canerem ; nec gemmeus unde
irradiet fulgor, variet color unde, tacerem.
Durities etiam unde illis invicta, nec igni
cedens, nec ferro, unde nitens distinctaque miris
interdum maculis facies, jam qualis Acathen
Aeacidae ornarat Musis et Apolline felix.
Vos natura parens, nulla cui motus ab arte
provenit, o Divae, parva concludere gemma
sponte novem voluit propriis insignibus omnes
ornatas, mediumque simul considere Phoebum
deposito mitem cornu citharaque canentem :

his ut testatum signis mortalibus esset,
quo numero et quali semper praestatis honore.
Felicem tanto dignatum munere Pyrrhum,
et fortunatos licuit quibus ista videre !
Indomiti hinc virtus adamantis multa referri
debuerat, solis ut quondam regibus esset
cognitus, utque uno tantum quaesitus in auro,
utque actus ferro durisque incudibus ictum
respuat, atque etiam ferrum dissultet utrimque,
dissiliantque ipsis incudes ictibus actae.
Ut praedura adeo vis haec corrupta recenti
sanguine, calfactoque hirci rumpatur, et ictu
crebro librantis graviter per inania ferri.
Ut lapis accessu magnes adamantis oberrans
ferrum declinet, vel inhaerens abdicet idem,
irritaque ut tandem faciat concepta venena,
et pellat de mente metus adamantina virtus.
Omnia quae quondam fassa est vidisse vetustas
credula ; namque horum forte experientia priscis
certior arrisit, quae non ostendere sese
quivit adhuc nobis ; seu non genus illud in auro
congenitum pateat ; seu sic, ut pleraque falso
nunc alia, hoc etiam non vero nomine dicant
artifices : ideoque ipsa re prorsus aberrent :
quo neque quae veteres super his scripsere fatentur
esse, sed in dubium revocari tradita posse
ipsa haec contendunt manifestis omnia signis.
Nec virides etiam fas hic transire smaragdos
indictos ; neque enim color est jucundior ullus,
quam quo se tellus horis genitalibus anni
vestit, et ostentat vultu meliore virentem.
At mage nil viret his : nihil est quod compleat aeque
contuitu his oculos, satiet minus, ipsaque multo
obscurata acies intentu protinus ipso
aspectu viridis claret recreata smaragdi.
Fulgurat ut picto viola carbunculus igne
mox etiam canerem ; variusque ut fulget iaspis :
concolor et fulvo radiat topatios auro :
innumerasque alias specie, vel nomine tantum
diversas coepto memorarem carmine gemmas.
Verum haec jam satis est leviter tetigisse vagantem,
atque aliis monstrasse viam, qua tendere pergant,
si quos forte juvat naturae occulta subisse,
haec eademque palam dulci fecisse Camena.
Nunc age materiam, tantae quam praestitit arti
natura, expediam : ne quis perferre labores
incassum studeat tantos, sed grandia vitet
detrimenta, quibus vesani saepe tenentur
artifices, longe primis dum rebus aberrant,
quas capere, ac solas illos servare decebat.
Est lucus summo secreti in vertice montis,
fons ubi decurrit nitidis argenteus undis,
et specus exesum tendens aperitur in antrum.
Intus habet praestans divino numine virgo :
ruricolae Glauram prisco quam nomine dicunt.
Huc densos inter vepres angustus et asper

acclivisque aegre perducit callis euntem.
Vestibulum ante ipsum speluncae levis et aequa
planities, non ampla tamen, horrentibus umbris
cingitur, ac fluviis ripis, et margine tophi ;
obducta viridi musco spississque corymbis.
Ingreditur vero siquis feliciter, omnem
continuo labem humanam, mirabile dictu,
exuit ac pondus subito mortale relinquit :
et purus penitusque levis fit spiritus illi,
quique aditus lustret cunctos, agilisque feratur
per cuneos, quibus in mediis sedet aurea nympha,
aureus et circum thalamus, supraque renidet.
Quin auri tabulae pedibus calcantur euntum,
atque ipsa ex auro splendet conflata supellex.
Tarvisiis ne qua titubes in montibus antrum
hoc pete, qui rebus tantis primordia quaeris :
quodque illic visum fuerit pretiosius, inde
erue, nec sumptu nimio, nec parce labori.
Non tamen aut vivum sulphur, tremulumve repones
argentum, vel quae undanti delata vapore
exit ab his primum putrisque infectaque vena :
sed purum atque omni purgatum sorse metallum
accipies, cujus secreta in parte recessit
spiritus, et crassa pressus sub mole latenter
victitat, at solvi vinclis et carcere caeco
emitti exspectat tenues effusus in auras.
Quaeque erat innato subsidens pondere moles,
jam levis assensu superas contendat in oras,
duraque mollescat naturam imitata per artem
eximiam, retro quae per consueta reverti
imperat, ut longo sese torpore recludat
inclusum semen, vegetantis more, nec intus
ardua constantis metuat jam vincula massae.
Quod tibi ne mirum valeat quandoque videri,
pullulat interdum proprii virtute vigoris
auri perpetuum germen, ferturque sub auras,
non secus ac summa fruticis tellure cacumen
exit, et inde sua vi sese extollit, ut Istri
accola felicis saepe illud stirpibus haerens
capreoli in morem nati circumdare truncos,
implicitumque etiam saxis invenit obesis.
Utque agiles serpunt ederae, lateque pererrant
amplexae lateres circum, pariesque fatiscit
dirutus, ingressis rimas radicibus, atque
frondibus, ac praetergressis latera obvia ramis :
sic topho inseritur crescentis vividus auri
surculus, atque intus partis explorat inanes,
egrediturque illinc, et se diffundit in auras,
aut varie illius summas complectitur oras,
quasque tenet solide conspersas purus inaurat.
Hinc duo praecipue, quae verset cura probati
artificis, statuo : quid primum seligat, et quo
selectum pacto moderetur, et aptius edat,
quo possit modico solvi lentoque calore.
Utrumque innumeris prisci involvere tenebris,
barbaraque occultis rebus conjungere verba

haud dubii, centum statuerunt nomina, quorum
quodcumque incertam signaret remque modumque ;
multaque quae lepidi quondam finxere poetae,
quaeque sacrorum olim veri vox nuntia Vatum
protulit, his etiam vice sunt interpretis usi,
singulaque exposuere, atque inseruere libellis
ipsa suis patefacta, velut caelantia pridem
artis opus tantae ; cum porro vana poetae
figmenta illecebris vacuas captantia mentes
commenti, multo fuerint diversa loquuti.
Qui vero incomprensum et inenarrabile munus
divinae humanas adventum prolis ad oras
praefati, haud quaquam parva haec sensere sub ingens
os illud tam magna sonans mysteria Vates.
Haec tamen, haud nullis nostri suadentibus ausi,
vel quod eos ea vana fides tenuisse putandum est :
vel sua quod variis juvit caelasse figuris.
Quin etiam huic uni, quo se mollire metalla
invenere modo, cunctarum nomina rerum
imposuere, quod haec cunctis vis insita rebus
haereat, incipiatque omnes, et compleat una.
Cuncta adeo cunctis occultavere, neque illi
nequiquam interdum seriem abrupere loquendo
perpetem, et excursus interposuere vacantis.
Ergo alte vestiga animis, et rite repertam
materiam rebus tantis per devia sume.
Nam non una tibi regio dabit, aut locus unus :
montibus at multae spatiantur Oreades altis,
antra quibus cura est servare, ingentiaque intus
munera, jam quorum venientes saepe remittunt
participes, manibus puris et pectore si qui
accessere illuc, dites ubi pectine eburno
aurea perpetuo depectunt vellera Nymphae,
quae prima heroum pubes rate sancta petivit ;
nec timuit tantos per fluctus quaerere summis
tum ducibus ditem sub Iasone et Hercule Colchon.
Alter inauratam noto de vertice pellem,
principium velut ostendit, quod sumere possis :
alter onus quantum subeas, quantumque laborem
impendas crassam circa molem, et rude pondus,
edocuit ; neque enim quam debes sumere, magnum
invenisse adeo est, habilem sed reddere massam.
Hoc opus, hic labor est, hic exercentur inanes
artificum curae : variis hic denique nugis
sese ipsos, aliosque simul frustrantur inertes.
Et nunc urentis latices, Bacchive liquorem,
nunc olidas miscent lymphas, quae menstrua et ipsi
appellant, veluti sint, ut quae dulcia complent
pignora perfectis materna mensibus alvo.
Deinde coquunt lento spatiosi temporis igne,
assidue instantes frustra, longique laboris
praemia decepti tarde ventura morantur :
nam varias rebus formas adhibere serendis
non puduit, quae sic naturae monstra repugnant,
hoc opere in toto praesertim, quod nihil aeque
postulat, ac quod sit simplex, farragine nulla

rerum alia expletum, quam quae tellure sub alta
continuo puri suffitu sulphuris, atque
comparis attactu vivi conflantur in aurum.
Praeparat ast aliter alius, fortasse nec unus
est modus, una modo res ipsa et pura reduci
jam liquido videatur, et in se sola relinqui.
Ars hic, sed propius naturam imitata, laboret :
illic ipsa suum constans natura tenorem,
artificis sed mota manu directaque servet.
Namque ubi compactum valida solvetur ab arte,
expositumque extra venienti vi dabit ultro
sese opus, et certa fecundum prole patebit :
quod superest, ipsum secreta in sede locabis,
perpetuoque calore, et longo tempore fotum,
exercebis, et huic sensim sua pabula reddes.
Nec grave decreti spatium tibi temporis esto,
quicquid id est : certo nam prodit tempore quicquid
exoritur, donec perfectum circuat orbem,
quo se vitalis profert in luminis oras.
Ac veluti informis paulatim matris in alvo
fetus inaugescit, parvus dum fingitur infans :
sic locus exceptus dextre, cui semina mandes
aurea, continuo producens illa fovebit,
donec in optatos adolescent edita fructus.
Tumque ministrabis parvum crescentibus ignem
principio, humentemque, et corrumpentibus aptum :
temperiemque illis, Mariae quae balnea dictant,
inter et humorem statues interque calorem.
Quodque fimum falso appellant, et balnea, tantum,
tu mitem ac proprium gignendis usque teporem
sufficies aequus ; neque enim qui deficit, aut qui
excedit calor, et medium servare nequit ; sed
alternat variatque vices ; hic profuit umquam
natis, aut certo nascendis tempore rebus.
Materiam quoque nec multam concludere parva
pyxide curandum est : modico namque ipsa calore
haud poterit resoluta suas expromere vires.
Id quoque non opus est : nam cum semel ipse beati
pulveris exstiteris compos, non amplius optes
aut multum, aut ipsum rursus componere : namque
augebis quoties ulli tibi venerit usu.
Illud nec parvi facies, quod clara beatus
signa dabit pulvis tibi, cum manifestus haberi
coeperit, et varios ostendet rite colores.
Sed ruber in primis quamvis optabitur, album
non tamen excipies, quin et magni quoque pendas,
atque atrum : namque hic operis tibi monstrat aperte
principium magni, secretaeque ostia pandit
prima viae, ignarum frustra qua vulgus anhelat,
et vaga multivii callis divertit in ora.
Ille iter incoeptum quondam, propiusque peractum
jam medium, ostendit, nec jam procul esse ruboris
indicium, gaudet cum vis humana propinquum
affore opus, quo non majus perfecerit ulla
ars ullis adjuta opibus, licet ipsa potenti
nil non ingenio peragat, quae sidera caeli

suspicit, atque obitus signorum inspectat et ortus.
Conscenditque polum gradibus subnixa superbis,
ac maris et terrae tractus metitur, et ipsas
innumeras prorsus numero comprendit arenas.
Caelestis etiam concentus voce referri
edocet humana, fidibusque imitata canoris
aetherei septem tentat discrimina cantus.
Arte etiam inventae Leges et civica Jura,
arte urbes constant clarae, sanctique senatus,
arte regunt reges populos, exercitus arte
ducitur, atque etiam praestans dux imperat arte.
Ars et corporibus fessis divina ministrat
adjumenta, quibus reparant languentia vires.
Fertilis et terrae cultus non abnuit artem,
cum dura ac sterilis tellus mansuescit arando,
et secreta prius crescunt vineta sub ulmis.
Haec igitur, quae nos inter versantur ubique,
tractat, et illa etiam contemplans audet adire,
quae procul a nobis tanto sunt edita tractu.
Quin bene si reputes, arti paene omnia certae
attribuit genus humanum ; nec dicere quicquam,
aut facere illius recta sine lege requirit.
Salve hominum praesens simul et gratissima cura
ars gravium, seu te sancta de Pallade natam,
seu famulam potius dicam sub Pallade primam :
namque ferunt illam proprium servasse pudorem
semper, eam quamvis adamarit Lemnius heros,
ex quo disjecit patris caput ipse securi,
prodiit unde ferox patrio dea praedita sensu.
Salve magna parens iterum, fecunda virorum
atque operum, tibi tot sacris e vatibus unus,
quos aequo ad tantos gressu procedere rivos
par erat, Aoniis ausim conspergere lymphis
tantarum causas rerum caligine taetra
obductas, atrasque illis detergere sordes
et liquida ablutas aspergine ferre nitentis
ante oculos. Ergo cum tu deprenderis arte
eximia seriem tantam, et manifesta colorum
signa, procul longi speres promissa laboris
praemia ; namque tibi divino munere pulvis
praesto erit auripotens, parva qui quodque metallum
parte sui purum subito convertet in aurum.
Ac veluti modicus, si forte coagula desint,
caseus extemplo lympha resolutus et igni
adstringit plena liquidi mulctraria lactis,
cogit et alterius lac in se vertere formam :
sic argenta sacer pulvis liquentia sistet,
sidereaque auri specie donabit, ut omni
praestent, et nullo prorsus superentur ab auro.
Ipse etiam augetur pulvis, ne forte labores,
neve iteres opus expletum semel : addere summam
vim licet, ut minimus tum pulvis denique vivi
immensam argenti valeat convertere molem.
Seu levis et nulla demum non parte solutus
spiritus ingreditur longa in penetralia densi
corporis, et toto penitus se viscere miscet :

seu potius longo concoctus tempore pulvis,
compressusque diu, multumque et saepe reductus
in sese, proprium cogit densetque vigorem.
Utque croci exiguus pura flos sparsus in unda
immodicum grato diffundit odore colorem :
plurima sic agitans contracto in pulvere virtus
obvia percurrit liquidi loca cuncta metalli.
Seu nulla hic ratio est hominum deprensa sagaci
ingenio, quare vis parvo in semine tanta est.
Herculei neque enim lapidis si forte requiras
invenies causam, qua ferrea vincula nectat,
et trahat abjuncti pondus per inania ferri :
nec minus unde regat nautas, et vergat ad Arcton
spectantes parva clausum sub pyxide sidus.
Multa tegit sacro involucro natura, neque ullis
fas est scire quidem mortalibus omnia : multa
admirare modum, necnon venerare, neque illa
inquires, quae sunt arcanis proxima. Namque
in manibus quae sunt haec nos vix scire putandum :
est procul a nobis adeo praesentia veri !
Ne tamen haud speres artem perdiscere posse
difficilem, atque aliis graviorem ; percipe jam nunc
quae dicam, et posthac alta tibi mente reserva.
Quae sciri poterunt, ea primum sola putabis
cognoscenda tibi : dehinc ordine cetera disces.
In primis etenim rerum cognoscere causas
ne dubita : nam saepe ferunt quaerentibus illae
sese ultro faciles, si quem via recta reducat
continuis ad se gradibus, nec sistere detur
ante illi, quam se thalamo concludere possit
quo se majestas veri veneranda receptat.
Illic quae fuerint fingendis prima metallis
semina visuntur, quaeve his coctura serendis
diversas adeo conjunxerit ultima formas.
Nec minus apparet ratio qua posse metalla
ipsa vices praebere suas, alienaque ferre
imperia ; aspicitur necnon et gignere, si qua
ars juvet, atque manum naturae porrigat almae.
Quin etiam ut sensim madeant, et mollia perstent,
Magnum opus, et quo non credas operosius ullum
esse aliud, nec quo magis ars se maxima jactet.
Praeterea haud aberit longe, quin cetera de te
percipias ipso : nam vinclo juncta tenentur
cuncta uno. Hincque modus lenti deprenditur ignis :
et locus, atque decens lapidis mensura futuri,
et color optato varie sub pulvere fusus,
quoque modo augendus, deerit forsitan ante
conditus, et multo durarit tempore pulvis.
Omnia quae laeto passim tibi certa patebunt,
si rerum seriem longo servaveris usu.
Et quandoque probus non dedignabere forsan
his equidem dignas meritis persolvere grates,
qui procul ignari linquens ludibria vulgi
nunc iter ingrederis (nobis ducentibus) artum
usque adeo, ut paucos capiat, paucosque remittat
incolumes ; crebris laceros quin vepribus omnes

id referat, nisi quos alta sub rupe relinquit
errantes caecis in flexibus, unde nec ipsi
se umquam, mortalisve manus miserata referret.
Sed tu ne dubites sinuosa errare per antra :
caeca reges filo vestigia, quod tibi nuper
ostendi, ut tutus ferres, tutusque referres
ipse pedes : quod si finem assequerere beatus
optatum, divis ageretur gratia primum,
deinde mihi, merito, tibi qui, praesentibus illis,
consului : verum si non contingere metam
forte darent superi, coeptum sed sistere cursum
esset opus (casu quo saepe humana laborat
conditio), at saltem falsi mendacia vulgi
exagitans, alios errantes cernere possis.
Illud saepe etiam in primis, iterumque monebo,
ne, si rara tibi contingat gratia caelo
(namque aliunde sibi nemo speraverit), ulli
hanc vix insinues caro fidove sodali,
nedum aliis reseres, ea nec te noscere jactes,
quae scieris, verum secreto in pectore servans
tecum habita, et tecum tantum ipsa arcana revolve :
nam suspecta probis ars ipsa invisaque multis
invisos etiam cultores efficit artis :
mendaces adeo multi quacumque vagantur :
multaque polliciti vane, quae multa nec ipsi
rescivere, neque est illis ea noscere promptum,
qui recta, quae nos ducit via, prorsus aberrant.
Multos quin etiam insignes, et cetera doctos
vidi cuncta equidem tractare, et pendere magni,
quaecumque ignarum probat ac ignobile vulgus.
Quid ? Qui derident omnis, quae maxima turba est,
artifices, tamquam nihil hos intersit et illos,
atque uno pariter pendunt examine cunctos.
Sunt qui saepe petant, quae nam sit causa quod usquam,
aut umquam tantos inter, qui talia curant,
apparet nemo, qui re miracula tanta
comprobet : idcirco nullam, quam dicimus, artem
esse, sed ingentis nugas, et inania mentis
insanae commenta sibi manifesta videri.
Sed quis tam fragili munitus robore pectus
non queat haec ulli numquam reseranda tacere ?
Nam quem non prohibet rerum prudentia fari,
quae sibi continuo, fuerint cum dicta, nocebunt ?
Tutus ab insidiis qua se virtute tueri
posset, qui prae se ferret, se condere parvo
divitias loculo ingentes, quibus undique regum
et regna assurgunt, et opes, opulentaque cedunt
omnia, tamquam illis sint unis quaeque minora ?
Thesauros igitur tantos componere siquis
jam potuit, mire sub amica silentia servat :
quod quoque tu facies, neque te desistere coeptis
id moneat, nullos opibus quod talibus auctos
videris, aut vulgo sese ostentare beatos.
Nec quoque te gravia haec, atque importuna retardent
tempora, quae numquam miseri speravimus ante ;
hostis ut heu mites invaderet has quoque terras

barbarus, et longo servatam tempore pacem
perderet usque adeo, nedum turbaret iniquus.
Nunc licet invasas urbes, direptaque passim
oppida ; nunc turpis praedas, raptusque nefandos
audire, et miseris injecta incendia villis,
Narvisiam unde suam tristis flet Musa Bononi.
Turpatos etiam cultus, violataque foedo
milite templa deum, scelerateque insuper usta,
et confusa simul divina humanaque : tantum
bella nefas, scelerumque parens discordia nectit.
Pectora quin etiam diro commota pavore,
et concussa hominum paucis sic ante diebus
cernere erat, veluti dirarum agitata flagellis :
ut sibi quisque novas trepidaret quaerere sedes,
collectisque opibus propriis oneratus abiret,
atque solum linquens patrium se ferret ad urbem
regina, magna quae cingitur Amphitrite,
tamquam illo sub tuta forent tunc omnia caelo,
quo sese quondam fugiens electa recepit
gens Italum, ut parvis scopulis servaret et unda
se modica, immensus totam cum exureret ignis
Italiam, accensus scaeva paene undique ab omni
barbarie, et multos duraret fotus in annos.
Quare age quo magis haec fortunae subdita cernis,
quae bona mendaci mortales nomine jactant,
illius adversum violentos fulminis ictus
praesidio hoc stabili temet munire labora :
ut si forte metus pavidos invaderet umquam
nos iterum horrendus (quem rex hominumque deumque
injustos potius convertat justus in hostes),
ipse tibi atque tuis et amicis commodus adsis.
Namque ubi divinum secrete munus habebis,
divitibus cunctis opulentior ipse sub ala,
aptius, aut loculo quovis, nulloque labore,
quo te cumque pedes, quocumque in tempore tecum
omnia securae gestabis commoda vitae.
At si pax iterum nos exoptata reviset,
quam prope jam (si quid veri mens augurat) esse
credimus, et nobis missum divinitus iri,
quo potiore queas tranquillae munera pacis
exercere modo, quam quo, seu seria tractes,
seu tibi sint cordi lusus, et honesta voluptas,
utraque tum frugi possim tum justus obire ?
Nam neque avarities, neque honorum insana cupido,
nec qui perturbant reliqui mortalia corda
affectus, varieque movent, et inaniter angunt,
illecebris poterunt ullis te vincere, tanto
praesidio, ac placidae mentis munimine tutum.
Sed neque bellorum diri motus, neque pacis
alma quies tantum moneant te quaerere causas
rerum adeo obscuras, nec opes, nec commoda, quae te
perpetuo quocumque voles tam multa sequentur.
Verum id praecipue moveat, quod munere dignus
hoc ipse evadas tanto, quo maxima possis
intimaque ingentum penitus primordia rerum
noscere, quas facile haud umquam natura crearit,

ni quis eam exterius jam nota adjuverit arte.
Quae qui scire queat, felix queat haud minus idem
esse, nec optandum quicquam fortasse relinquat
praeterea, quod non inventis talibus ipse
posthabeat, laetusque velut fecisse minoris.
Mens etenim arcanis solum contenta reclusis
gaudet pars nostri melior, nec plura requirit
cum sese in veri secessus intulit altos.

## LIBER TERTIUS

CH_3

Protinus optatos opulenti pulveris ortus
exsequar : hanc etiam solertes sumite partem
artifices, animoque diu versate volenti.
Maxima jam vobis gravium miracula rerum,
ingentisque ausus, artisque ex ordine summae
ignes, et spatia, et numeros, et pondera dicam.
In magnis labor est, necnon par gloria, siquem
respiciunt placido praesentes lumine divi,
insequiturque ardens velut inde accensa voluntas.
Ne vos difficilis rerum experientia turbet,
neu me dicendi novitas ingrata retardet.
Tu quoque, siquid adhuc tibi, quae praelusimus, almum
tentarunt pectus, votis persaepe vocata
Nympha mihi, dudum sacri custodia fontis
extremam tantorum operum ne desere curam
hanc nostram, oramus : nec, si quae maximus olim
ille tuus cecinit vates ornantia supra
tellurem complexa foves, contemnere prorsus
inducas animum, quae nos imitamur, et ipsis
illius impressis quae nunc vestigia signis
ponimus internae scrutati viscera terrae ;
ne velut ex alto penitus despecta refutes.
Quin videas siqua pariles ea figere sorte
conamur parvo vadentes grandia passu :
sic eat aeternum puris tibi leniter undis
Mincius, et tenera praetexat arundine ripas.
Principio spontis propriae, semotus ab omni
sit cura, et vitam tranquilla per otia ducat
secretus, latitansque etiam, cui talia curae.
Illi sit non ampla quidem, sed commoda multis
tractandis domus, et vulgo quae abjuncta recedat.
Quaque locis habeat secreta cubicula certis,
quo nullis aditus pateat, ni forsitan ipse
jusserit huc famulos non nil inferre minister,
qui neque quid gestent norint, nec cujus in usum.
Hic brevis aestiva spatiantem porticus aura,
et modica exceptum brumali tempore servent
atria, contineantque domi ; nec parvulus absit
Hortus, ubi vacuum toto se exerceat anno,
et velut huic tantum studiose deditus instet.

Nunc eadem excultae telluri condita mandet,
semina nunc olerum properanti seligat ungue,
mox animum, atque oculos pascat florentibus herbis.
Huc etiam interdum dulcis admittat amicos ;
dissimuletque, domi quid agat, gratoque sodales
detineat lusu captos, suavique lepore.
Interea non ille tamen cessare calorem
occultum sinat, aurigerum si forte locarit
semen, ubi proprios aevi jam compleat orbes,
aut si id continuoque igni, multoque labore
abstrusum in venis auri perquirere tentet ;
atque ideo haud ab re fuerit, quaesisse fidelem
muneris egregii socium, longique laboris,
interiore domus se qui tum parte recondat,
inque vicem partitus onus curanda ministret.
Est etiam non illa quidem postrema beati
artificis ratio, qua se commendet, et ipsum
diis opus aeternis ; neque enim sine numine divum
haec veniunt, neque ad haec ulli adspirare licebit,
qui non rite deos studuit sibi adesse precando.
Ipse ego, qui tantum haec tenui nunc carmine tento
pandere, ter Musis feci pia vota, precesque
intendi manibus supplex, et pectore puro ;
unde mihi insolitum caelo adspirare favorem,
paulatimque novas in carmina surgere vires
sentio, perque altos collis, atque avia ferri
per nemora incertus videor : ducor sed aventi
mente tamen, quo fata ferunt, ut primus amoeno
ex Helicone sacra referam mihi fronde coronam :
primus et Aoniis intexam floribus aram,
quae mihi cum fuerit teneris erecta sub annis
et Phoebo, Phoebique choro, Genioque potenti,
stat maris Adriaci secreto in litore ducta
ad culmen, placidis qua fertur Ariminus undis,
aut rapitur torrens vastum violentus in aequor,
inclita dum subter pontis monumenta vetusti
praeterit, et dulcis undas permiscet amaris.
Propterea incoeptas artis, operumque labores
prosequar indictos prius, et fumantia circum
tecta ferar divum, tenues qui follibus auras
captant, et liquido distendunt aere caminos :
et jam Cyclopum fremitus audire videmur
cominus ingentes, caelumque incudibus actum
murmurat, et longo Chalybum stridore liquentum
insolitisque mihi resonat mugitibus Aetna.
Seu quis sementem faciendi quaeritat auri,
seu prius argenti recte primordia poscit,
nosse gradus primum varios ne spreverit ignis.
Sunt plures etenim, per quos procedat, oportet.
Sed duo praecipue : naturae est aemulus alter
tranquillae ; ast alter violentae convenit arti.
Nititur hic operum immensa vi trudere semen
e solido innexum miris compagibus auro.
Cum prius, ut tibi mox reserabo, solveris aurum,
reddiderisque humens, necnon et putre, subactumque,
ut facile id valido demum patiatur ab igne,

exhaletque tumens, atque in sublime feratur,
exemptum fovet ille, nec excedentis adurit
tum virtute caloris opus, frigere nec ante
permittit, quam se mire componat, et ante,
quam sese propria perfectum sponte reponat.
Hic mihi composita dedatur mente minister.
Magna etenim referam primum, tum plurima fando
Commodus expediam, quae prisca et barbara turba
subticuit, quaeve ipsam etiam caelasse volentem
crediderim, aut verbis nescisse potentius uti.
Haec ideo lingua nunc illustrare Latinorum
ausus, quin etiam numeros his addere conor :
grata magis doctas veniant ut missa per aures.
In primis auri lamnas, ramentave puri
accipiens, crebris contundes ictibus, atque
pulveris in morem triti, aut fluvialis arenae,
diminues, longumque teres, quo denique putri
humore ex sese interius resoluta liquescant.
Proderit huc etiam largos infundere rores
seminis interdum proprii, ne forte alienum,
ut docui supra, quicquam miscere labores.
Ni quod multa queat connectere, forsitan addas,
quodve etiam sparsum rebus communiter insit :
nam simili gaudere suo simile omne putato,
atque etiam exterius simili quodcumque juvari,
praesertim cum naturam natura requirat,
atque amplexa parem contraria cuncta recuset.
Sic quoque non digitis, aut plectro pulsa, movetur
forte fidis, tanquam fidibus tunc assonet ictis
ipsa, quibus fuerit concordi consona voce :
in cunctis adeo rerum concordia pollet.
Quare id ne pigeat, quodcumque est, quaerere compar ;
aut ubicumque latet, seu montibus abditur imis,
vel maris eruitur scopulis, aut fontibus haeret
in mediis, alto vel se producit Olympo ;
seu quacumque patet, seu parte absconditur omni,
quicquid id est, totove orbis se corpore miscet,
cujus praevalida vi tam compacta resolvas.
Ergo ubi jam humescent, angusti vasis in alto
fundo compones ipsa haec non ordine nullo ;
namque per aequa tibi maneant dispansa necesse est,
ut calor ex aequo penetrans per cuncta feratur
unus, et ex omni compellat parte vaporem.
Nunc, quibus exceptum rebus componere possis,
instituam vas illud, ubi perferre calores
immensos opus est aurum sic rite peractum.
Est genus indomitae mirum telluris, Hiberus
quam fossor vitreas Italum transmittit ad artes.
Hac etenim argilla fictis vitrarius ollis
vitra liquat fervens, eademque liquentia totas
noctes atque dies longo depurat in igne.
Hanc igitur primum creta compone tenaci,
qua figulus currente rota surgentia profert
vascula, et his pergit gratas inducere formas.
Est etiam Euganeis tellus in collibus atra,
sulphurei ad fontes Aponi qua semita ducit.

Nec minus effossis puteis quandoque subalba
eruitur, marmor referens persaepe vetustum.
Quas ut tu cunctas una conjungere cures,
est opus, atque adeo manibus miscere subinde,
unam quo pariter possis inducere massam.
Inde scyphi speciem oblongi simulantia finge
pocula, queis etiam parva circumdare zona
os summum studeas, illis aptentur ut alte
vitrea vasa super tenues captura vapores.
Nec minor illa quidem fuerit tibi cura camini,
quo validum accendas ignem, multumque diuque
accensum summa foveas industrius arte.
Hunc igitur duplici munitum pariete firma,
compositoque apte limo duc omnia circum.
Nec mihi displiceat vinclis praecinctus et aere,
et silice intectus dura, quae tegmine ferri
fortior, hoc melius tanti vim perferat ignis.
Hanc quoque continuo multoque foramine comple,
vascula quo possis illic tam multa locare,
quam multa est operi satis, et quam multa labori.
His ita compositis, cum primum accenderis ignem,
aestuat hic clausa rapidus fornace, feritque
vas recta inferius, totumque ignescere cogit.
At proprio quondam species madefacta liquore
aurea, quis credat ? Tamen haec videre periti,
solvitur, et spondae paulatim vasis adhaeret ;
mox petere hinc sensim vitri convexa videtur,
duraque quae quondam fuerat, et densa, gravisque,
mollis hebet, volitatque levis, et rara fatiscit.
Quin niveo candore etiam fucata renidet
principio ; mox caeruleo pallore repente,
et viola leviter tincto perfunditur omnis,
quae prius astrorum caelique imitata colorem
fulserat, atque auri fulva perstabat in aura.
Non tamen indicium facient haec una, sed ipsum
illius interea licet observare saporem,
haeserit os circum cum vix perceptus amaror.
Indicio est etiam sonus hinc otusus, et aure
deprendi haud facilis, necnon odor haud gravis, et si
sulphuris extemplo paulum spiraverit atri.
Quid ? quod et interdum liquidam se fundere in undam
ipsa videtur item, quae sursum repserit offa ;
usque adeo non grande semel mutarier aurum
visum est, et superas ferri grave pondus in auras.
Hic liquor est, qui si certo sit tempore lectus,
bina ministeria ex sese praestabit abunde.
Alterum, ut hinc aurum proprii quandoque liquore
seminis infundas, ipsum cum solvere primum
coeperis, et prima simul id contriveris arte.
Alterum erit, quod cum hic docte immiscebitur humor,
forsitan advectas Indo de litore baccas,
cum senio obductae non nil pallere videntur,
restituet quondam proprio candore nitentis.
Aut ex arte novas etiam, si forte cupido
id facere incessit umquam tibi, fingere posse
perspicuo invenies illo puroque liquore.

Quod si quando sequens rerum pulcherrima, quoddam
egregium meditari opus, et componere velles,
pulchrum aeque haud quicquam, nec tam mirabile possis
deligere, humanam quod tunc imitere per artem.
Has adeo circum ludit natura creandas ;
seu cum se summo pandunt in marmore conchae,
ut genitalis eas anni stimulaverit hora,
inplenturque levi conceptu roris hiantes,
et gravidae certo mox edunt tempore fetus,
aetheriusque illis fit candens unio partus.
Sive animadvertas, cur non se roscidus unam
induat in speciem simili conceptus ab ortu.
Namque ubi ros purus cupidis influxerit illis,
conspicitur toto diffusus corpore candor.
Turbidus at fetum prorsum sordescere cogit,
quem rursus videas caelo pallere minante.
Quippe illo constant, caelique his major inest vis,
quam maris : hinc variant, et pro lurore vicissim
nubilus est illis color, aut pro luce serenus,
dum fovet alba senis Tithoni Aurora cubile.
Hinc etenim pasci tunc illas cernimus, et cum
se tempestive saturent, grandescere fetus.
Comprimitur vero si fulgurat ipsa repente
concha pavens, restatque minor jejuna timendo.
Verum si intinuit, pariter compressa pavensque
inflatam vento speciem, et sine corpore gignit.
Atque hi concharum vere perhibentur abortus.
Nam cute multiplici sani constare feruntur,
et penitus solido compleri corpore partus,
atque ita, quo callum reputes id corporis esse,
quod sale permulto soleant purgare periti.
Id mirum est, caelum tantum gaudere sereno,
sole rubere illas, candorem et perdere, et ipsum
custodire ideo mersas pelago altius, atque
se raddi valeant usquam contingere Phoebi.
Flavescunt tamen, et rugas traxere senecta :
nec constat vigor ille, nisi durante juventa,
quem petimus : sic his etiam longa efficit aetas.
Haeret et interdum duris vetus unio conchis,
quam neque ab his valeas nisi forti avellere lima :
quamquam omnis pariter proprio sit in aequore mollis,
exemptus vero durescat protinus idem.
At si forte manum capientis praevidet ipsa
concha, statim compressa operit seseque suasque
intus opes, se gnara peti violenter ob illas :
atque ita praeveniens acie proscindit acuta
saepe manum, et poenas decepto sumit ab hoste.
Denique quod solers summi prudentia vatis
esse apibus circa regem miratur, id ipsum
observare ferunt conchas, ut grandior aevo
imperet, atque alias pastum praecallida ducat.
Quae si forte capi (nam haec urinantibus una
cura est) contingat, palantes protinus omnes
includi reliquas facile est tum retibus, atque
incolumi quo major erat fiducia rege :
hoc illis capto subit inconstantia major,

usque adeo in cunctis ductorem amittere magnum est.
Praecipua his vero dos est : aequissimus orbis,
candor item aetherius, tum limpidus undique laevor,
et magno pariter justum sub corpore pondus.
Sed satis haec, nequa videar contendere summis
ipse viris, merito sibi qui peperere virentem
semper, et in nullo languentem tempore laudem :
nec mihi certandi veniat tam vana cupido.
Tu modo, cum dabitur, collectum rite liquorem,
nam non saepe fluit, tantos servabis in usus.
Namque illo sparsus pallens prius unio candet :
quin novus efficitur, si post componere cures
caetera, quae cura nihilo majore parantur,
ut referunt, qui haec egere et scripsere docentes.
Possem multa tibi quaerentum inventa referre
artificum ; qui dum res has scrutantur, et errant
nunc huc nunc illuc, alienaque saepe sequuti,
quam peterent, miranda alias, nec cognita pridem
invenere, quibus fruitur nunc vita repertis.
Ut qui vitra adeo varias imitantia gemmas
effecere prius, necnon qui nitra salesque
injunxere simul lymphis et alumina primi,
sejungique aliis aurum docuere metallis ;
vel qui tot nobis etiam ostendere colores,
purpureum viridemque, aut quo caelestia tecta
interpicta micant, et crebris ignibus ardent.
Seu quem floriferi tranquillo tempore veris
laeta maris summas spargit Galatea per undas :
quem facere eximia si qua cupis arte colorem
(namque illum nobis etiam natura ministrat
inventum scabris in rupibus), hic tibi nulla
proveniet de parte magis, quacumque vel arte,
caerula qui placidi referat Neptunia ponti,
quam qui praetenuis flavo detergitur auro.
Hunc adeo ex sese profert, et detegit ultro
aurea cyaneo conspirans aura colori,
cum floret mirae in morem rubiginis aurum
suspensum supra os ollae candentis aceti,
marmoreoque etiam completae pulvere primum,
deinde fimo in putri, jugive humore repostae.
His ergo atque aliis, quos enumerare colores
longum esset, cuncta in tabulis simulata reponunt
pictores, quaecumque procul propiusve videri
contigit, ut prisci mira expressere. Neque ulli
non eadem mire nunc et pinxere Minores :
quos meus ingenio cunctos imitatus et arte
Julius, effingit quicquid natura sub ipsis
exposuit diversa oculis ; seu surgere montes
aerios, imasque simul subsidere valles,
collibus atque etiam introrsum protendere hiatus
aspicias, vacuisque ipsos se findere rimis :
seu petere exiguo comprensos margine cures
prospectu late campos, et florida rura,
fluminaque immensas inter currentia terras,
et maria, atque lacus, viridique in gramine fontis,
quo Nymphae, Satyrique, et monticolae Siluani

conveniunt, caeloque illic et sole fruuntur
quisque suo, variis intenti lusibus omnes.
Multaque praeterea, quibus artes haud pudet uti
ceu propriis reliquas, siqua immiscere metallis
pergit rite manus : en cum spirantia quondam
aera Myrhon, vel nunc eadem cum excudere Crispus
certat fingendi praestans et fundere juxta,
multaque construere, et multa admiscere, suumque
sufficere his ignem doctus. Nec inaniter illum
crediderim arcanam meditatum plura per artem,
qui genus id nuper tormenti ex aere peractum
horrendum miseris edit mortalibus, altos
quo murorum apices longe quatit, et grave pondus
machina terribili jaculatur in aera bombo ;
quo tellus tremit assultans, atque oppida circum
icta procul diro strepitu, ceu fulminis, horrent.
Quales attonita stupidi percepimus aure
litore nunc Veneto, Patavi dum magnus ad urbem
rex sedet, et latos diverso milite campos
occupat : at contra Venetus se exercitus intra
continet, et variis arcet terroribus hostem.
Sed quid in haec fando diversi venimus ? An quod
nos et agit, qui nunc vertit ferus omnia Mavors ?
Pierides contra contendite : nam neque vobis
unquam aberunt, ausint qui talia : sed neque munus
ingratum est quodcumque paro ; namque hoc mihi tantum
jussistis, quod et ipse lubens praestare laboro,
aequus in his quamvis labor est, et gloria dispar.
Nunc age continuus calor, et secretior ignis,
quo fovet ac reficit sese vis seminis intus,
edetur, tempusque sacri geniale Hymenaei,
perpetuisque almi succensa cubilia taedis
conjugis, et veri Veneris dicentur amores.
Ergo nivem cum tu vitro deraseris auri,
hanc hyali parvo rursus in vase repones,
cujus item modicum ferventi os obstrue vitro.
Tum tibi seu lapide excisum formare caminum,
sive luto fictum, studeas, cui subdita lampas
ardeat assiduum producens usque teporem,
quem super impositus dense cinis aurea servet
semina, quae fundo phyalae claudantur in imo ;
et vitreo dum vase diu conclusa coquuntur,
ostendant prima varios in fronte colores :
namque ipsum quoniam prae cunctis quaerimus atrum
post quater undenos soles cum noctibus actos,
unde color tota candens educitur arte,
ex atro ad candentem alios exstare necesse est,
quos spectes medios inter contraria sensim
apparere tibi. Namque hoc natura requirit,
quo sibi conveniat concors, atque undique tota :
nec nisi decursis spatiis extrema tenebis.
Omni namque dabunt tibi tot se parte videndos,
quot trahit adverso solis splendore colores
Iris, ubi terris caelo incurvata recumbit ;
aut quot saepe levi motu variata videmus
colla referre avium, quas Juno jungere curru

ante alias omnes volucres dignata, superbis
centum Argi voluit praetexere lumina pennis.
Ast ubi se fusco perfuderit ipsa colore
massa, putes proprium te suffecisse teporem,
quo femella marem suavi complexa foveret
in gremio ; ast illi sensim instillaret amorem
fotus amans, dulcisque simul langueret uterque
conubio, et ditem proferret denique partum.
Hinc ea paulatim pullam deponere vestem
incipit, et sese pallenti obducere palla,
inque dies minus atque minus pallere, neque ullo
cessare intera momento temporis unquam
saepius innumero conspersa colore vicissim,
quin albere iterum maturet foedere tanti
conjugii juncto, quo jam resoluta latenter
putruit, et vires quo nunc recreata resumit.
Hic igitur ne qua tepidum summoveris ignem,
et genitalem intus vim vi subeunte foveto :
ales ut assidue tepidis super incubat ovis,
nascendisque adhibet pullis intenta vigorem.
Quem tu continue morem servare memento,
hanc ut, dum Phoebi circum se verterit orbis,
plurimus exacto comprendat tempore candor.
Haec tibi tangenda est duranti denique meta,
hic equus est solvendus, et hic jam terminat aequor,
quo cursum tenuisse diu laetere laborum
tantorum, et longum patienter multa tulisset.
Ac jam tempus adest, quo felix praemia sumas
debita, quae tanto demum sudore pararis.
Accipies igitur vivi de more subactum
argenti pondus, triquetroque in vase repones,
quo calefacta solent immissa metalla liquere.
Cumque tibi in medio vas ipsum aptaveris igni,
coeperit et misso sursum fervescere fumo,
pulveris exiguam perfecti projice partem
desuper, et tantis succendas follibus ignem.
Namque id continuo, quod tu mirere, liquescet
argenti in speciem, quam fusam deinde canali
angusto in gracilem videas durescere virgam.
Non tamen hic prorsus sistendum est, eia age longum
ingresso tibi restat iter, quo pergere cura
strenuus, et quondam felicem perfice cursum.
Nec mihi det vitio quisquam, si condita claustra
Naturae reserare nimis, vel inutile forsan
humano quicquam generi proferre videbor ;
cum, veluti cunctos auro ditescere vellem,
ipsum qua fieri possit ratione docere
tentabo, abstrusum quod sic natura sub imis
Montibus occuluit, quo gens humana per omnis
id peteret patiens atque exantlata labores,
quove uno pretiique modum summamque tenerent
mortales, illoque foret mutatio rerum
aequior, et varias inter commercia gentis
apta magis. Quod si certa produxerit arte
in lucem id quisquam, vulgoque ut pergat in usum,
fecerit, atque ideo pretiosum ut vile putetur,

continuo exciderint reliquae tam segniter artes,
quantum haec extulerit caput indefessa ; neque ipse
forte pater curis acuet mortalia corda
amplius, inde gravi passus torpere veterno
omnia, vel potius sceleratum mox genus omnem
jusserit humani speciem mutare decoris.
Ipsum autem, ut variis agitaverit ante periclis
auctorem sceleris tanti, aut detrudet ad Orcum
fulmine, vel celsa religatum in rupe perennes
aeternum poenas coget dare : nam quid Olympo
Ossa superpositus, necnon et Pelion Ossae
Coeumque Iapetumque magis saevumque Typhoea
finxerit horrendi Jovis ira, et fulmine dignos ?
Aut magis aethereis subductus sedibus ignis
Caucasea meritum volucrique et rupe Promethea ?
Quam, qui hac imprudens aurum invulgaverit arte,
dignus erit poena simul ut multetur utraque ?
Caverat hac princeps re forsan Claudius una,
flexibile ut fieret mirando examine vitrum,
detraheret nequid pretia olim imposta metallis.
Vidit idem inferior longo post tempore Caesar
ipse etiam fortasse, artis cum perdere tantae
artifices voluit, jussitque exurere librum
multorum aggestum cumulum, dum forte peragrat
milite composito Aegypti ditissima regna,
et timet imperio Romano providus arte
ex illa, et multis opibus tunc inde paratis.
Quin frustra Phaunus Pico satus, et Jovis almus
ipse nepos, merita ferretur laude, quod olim
primus ad Hesperios specubus deprompserit altis
argenti late venas, primusque per ipsum
aurum aditos tantos tellure recluserit ima,
horum conditio si qua vilesceret arte.
Verum id non agimus, non omnibus omnia namque
scribimus ; hac tota vulgus sed parte perosi
ludimus, et procul hinc certum est arcere profanum,
et terrere etiam scriptis, ne attingere sensu
speret, quae paucis canimus prudentibus, et quae
non tamquam artifices, sed ut olim caetera, tamquam
scrutantes opus id naturae dicimus, et quae
vix illis pateant magno percepta labore,
qui moniti nobis dignique ad tanta vocantur :
praesertim cum rite volunt indicta relinqui
nonnulla, aut dici scelus est ea quippe nefandum
ni penitus caecis ambagibus involvantur.
Ac nonnulla etiam (quod parce nos tamen ultro
fecimus) interdum sparguntur falsa, neque illic
omnia praecipue credas tibi vera referri,
ars ubi secretos duci tentatur in usus ;
atque ubi, quo pacto sese experientia promat,
prodimus addicti perplexae legibus artis.
Quin ubi naturae vires aperimus, et artem
illius asseclam decernimus, atque ubi primum
esse hanc, mox quae ea sit, ostendimus ; omnia passim
vera tibi porro occurrent magis, et magis inde
omnia percipies, quae sunt ducenda sub usum,

quam illinc, artis ubi nobis modus ipse doceri
est visus, nostroque patens fieri documento.
Nec fuit haec fandi tantum sententia, quantum
hic mihi nescio quis furor incidit, unde faventi
numine non trito ductarer calle sub alta
culmina Pieridum, laetosque invisere colles
et fontes haurire sacros, et carpere frondes
sperarem, doctae jam praemia frontis honesta,
atque adamata mihi, et multos quaesita per annos.
Haec nam sollicitas inhibent solatia curas ;
hic amor, haec vacuam tenet oblectatio mentem,
gratiaque, atque una haec animum complexa voluptas
explet, et hinc totum percurrunt gaudia pectus,
gaudia Castalidum dono concessa sororum.
Ergo hinc digrediens edico, ne quis ab igne
amoveat, quod rexit, opus ; ne forte remittat
conceptum durante diu virtute calorem.
Sed contra intendat potius, quo perferat ipsum
tacta manus tamen artificis, nequando moventem
vim sese excedat calor, at tam jugis et aequus
perduret, quam laeta illum natura sequatur.
Ergo, quin pergas, tunc te mora nulla retardet,
desieris cum jam ulterius proferre nitorem
sperati et demum jam tum candoris adepti :
sed tamen ut properes obstet patientia semper
fida comes, quae te pariter ne longa moretur
ipsa dies, faciat. Neque enim tibi tempore parta
tanta brevi speres ; quae si conquirere possis,
nulla aeque quaerenda alia, aut optanda relinquas.
Hic itaque ulterius postquam processerit ignis,
non unus color, aut facies spectanda, sed ante,
quam tibi purpureus se proferat ipse videndum,
paulatim croceo perfusus candor amictu,
et varie immutans, totum durabit in annum,
cum ruber ostendi mox coeperit, atque sub altam
perspicuus florere cutim, violaeque rubenti
assimilis, juxtaque nitens Tyrio hyacintho.
Haud tamen hic etiam sistas, sed protinus ultra
perge, nec a recta, quae te via ducit, aberres.
Tum tibi ne in mentem veniat, nec suadeat ullus,
ut quicquam immutes ignem, ni forte parumper
intendam, quem ferre tamen vel tangere possis,
cum libet, illaesus : quae sit tibi meta, modusque,
quo nihil hoc toto servandum tempore credas
esse magis. Namque hoc naturam imitabere tantum.
Caetera, si pecces aliquid, vel forte relinquas,
corrigere, aut rursus componere, nil prohibet, si
recte animadversa haec pridem, et quaesita fuerunt.
At si desistas, quo vis intermoriatur
ignea, continuo quae fetum fomite pascit,
nil agis, et subito, cum primum desinet ignis,
cuncta ruent, quae nonnulla reparaveris arte
amplius, ac frustra tentes fulcire ruinam.
Verum si contra studeas augere calorem
impatiens, pigeatque morae te, protinus illud
amittes, longo quod dudum tempore quaeras.

Propterea assistens operi bombycina lychnis
nunc ipse imponas filo contorta trilici,
nunc oleo demissa leves, eademque retorto
profer acu, aut putres contundas forcipe fungos.
Contemplator item, cum se mutaverit aer,
sumpserit et vires jam tempestatibus aequas.
Si media, ut par est, torrenti aestate calescet,
et tuus hic etiam nolens augebitur ignis.
At si frigescit gelidis aquilonibus aer,
et tuus hic etiam nolens sedabitur ignis.
Tu vero, si frigus erit, mox addere primis
fila tribus sapiens accingere, quae tibi speres
esse satis ; sed si aestatis supereminet aestus,
occuras, demasque celer quae adjunxeris ante,
aut latera exemplo attenua nimis ampla camini,
et graciles illi spondas aptare labora.
Aut contra, tenuis paries ubi forte maligna
ex sese admittet vel rimis frigora, limo
tum latera haec eadem crasso duc omnia circum,
quaque potes jussum conserves arte teporem.
Nec pudeat cribro cineres agitare, neque ipsos
ampullam circum tenues aptare tepentem
interea, quando videas inolescere fetum
scilicet, et densum magis affectare ruborem :
tertia quo tandem veniat feliciter aestas,
quae tibi praeteritos demat perfecta labores.
Nam simulac plenum color effert purpureus se,
cunctandum nihil est, quin pulvis vase beatus
dematur, variosque tibi servetur in usus :
caetera sive velis auro mutare metalla,
seu libet affectis etiam mortalibus esse
auxilio, et tristes illis depellere morbos.
Haud tamen exacte quisquam sic computet annos,
ut nil diminuat numero huic, nil insuper addat.
Nam seu materies habilis quandoque reperta
acceleret cursus, eadem non apta retardet ;
seu calor intensus paulo minus aut magis aequam
mensuram exsuperet, variet tempusve, locusve :
hinc tibi, si spectes, ratioque et causa patebit,
in longum tanti spatium quae duxerat ortus,
fecerit aut brevius ; neque enim quem septimus edit
mensis, eri fallax hominum partus, nec et hunc, quem
protulit undecimus, non verum dicere possis,
quamquam haec in superos soleant et in astra referri.
Sunt qui deinde tamen non parvis ignibus illum
noctes atque dies septem in fornace perustum
detineant, donec magis hic densetur, ut aiunt.
Quod tamen haud omni sapiens ex parte probarit :
nam facere haud, quicquam simile huic natura videtur ;
coeperit at siquem, servat mox una tenorem
semper, et incoepto quae sint diversa refutat.
Haec tibi quo totum peragant, quem circum agis orbem
rectius, integri, moneo, ne spreveris anni
observare tuis in rebus tempora passim.
Ac si me quicquam studeas audire, sub ipsum
Ver adeo incipies, quo totus parturit orbis,

et quo se cunctis aperit natura creandis,
cujus ad arcanum componas cuncta tenorem
me duce ; quod monui semper, ne calle relicto
illius, a recta quoquam discedere tentes.
Vere igitur tum vitra tibi conflare jubeto,
vere etiam formare luto atque aptare caminos,
cum desaevit hiems, ac dum non impedit aestas,
ut quamvis validos pertractes cominus ignes.
Forsitan hic numeros quaeras, et pondera rerum,
quas tibi constituas, opus id quam perficis, ante.
Verum si reputes, tria sunt primordia tantum ;
dehinc duo, dehinc etiam, recte si videris, unum
tantum erit, et solo triplex constabit in auro.
Quin ipsa haec uno comprendas pondere cuncta :
nam nihilo distant inter se juncta, suumque
quodque sibi alterno permutat pondere pondus.
Quae tamen exacte prorsus sic omnia tractes,
ut neque tam tenui numero subducere curent,
ac neque tam modica perpendere lance minutim
hi, quibus argento mire secernitur aurum,
instrumenta quibus maneant, quae templa vocantur.
Nam templi faciem praestant circumdata vitro,
et pedis unius modulo constructa decenti,
quo nusquam tenui penetret vi spiritus, atque
hic erecta bilanx praeceps immotaque perstet.
Atque ideo argenti massae, quae continet aurum
infusum, drachman capiunt, quam rursus acuto
incidunt ferro, mediamque illius in acris
diffundunt latices partem ; mox illa virentis
particulas auri linquit resoluta per undas.
Hae propriae nigrae ad fundum gravitate feruntur,
quas illi excipiunt, et parva lance receptas,
exiguo quocumque leves sint pondere, pendunt.
Subductisque ipsis, dum quod sub parte repertum est
tunc aurum, artificis miro solertia ductu
computat, in toto reperit quae summa resultet.
At quamquam numeris, opus est, utare minutis
usque adeo, vel ponderibus, satis attamen una
tantum electa tibi fuerit tribus uncia primis
ex illis, quam tu, ut docui, sic rite gubernes ;
aut si forte duas sumis, nil amplius addas.
Nam te, quod superest, etiam nonnulla docebo,
quae tibi cum fuerint alta sub mente reposta,
noris, cur modica contentus parte labores.
Hic ego non fictis, quae sunt tractanda, figuris
eloquar, et longis obducta ambagibus edam,
quae quondam artifices ipsi caelasse fatentur
consulto, tamquam veteris mandata Sybillae.
Extremo huic igitur prudens ne cede labori :
nam brevis atque artis minimae est, sed divitis usus.
Ergo vel in primis fulvo confunde metallo
confecti paulum medicaminis, idque beati
pulveris actutum prae se vim ferre videbis.
Vel gravidum puro semen cum rursus ab auro
haud facili et multa extrusum collegeris arte
(qui modus ex illis, quae pridem exegimus, exstat

expressus satis, et fari non omnia par est),
huic tu purpurei partem mox pulveris aequam
immisce, atque illis lentum succende calorem,
ac geminos illas etiam simul excoque menses,
quo seriem spatio cunctam prodire colorum
pervideas, qualem ternos miratus in annos
videris, atque brevi sumas, quae maxima longo
tempore jam tota quaesistis sedulus arte.
Idque iterum atque iterum facias ; quotiesque peractum
id fuerit, toties vires illius, et ipsum
pulvereum exauctes cumulum ; namque ocius ipse
crescit, et hinc aliam sumit, retinetque priorem
virtutem crescentem etiam. Nec credere vanum est,
illam adeo interdum priscis auctoribus auctam,
ipsius ut tenui projecta parte per undas
aequoris, argentum si vivum tum foret aequor,
omne vel immensum verti mare possit in aurum,
Neptunusque supra divos ditissimus omnes
tum fieri, et strato lusum Nereides auro
ire super, puro siccantes sole capillos
caeruleae, quo non alius color aptius auro
haeret, et aethereo cui plene convenit aurum.
Haec super aurifera non invidus arte canebam,
dum ferus Ausoniae populos agit undique motus,
atque rapit resides et longa pace quietos
arma per, innumerasque immani vulnere caedes,
horrendum in facinus : quo mixtum ignobile vulgus
principibus, rerum quibus est permissa potestas,
praecipitat, stupidisque necem mortalibus atram
ingerit, atque ipsa graviores morte labores.
Illo Augurellum me tempore tutus habebat
Adriaco baccante sinus per cuncta furore
Barbarico, magnae vel cum primoribus urbis
versantem, aut studiis Musarum multa vacantem.
Carmina qui fidibus jampridem aptare canoris,
tum doctos salibus sermones spargere puris
tentavi, et demum jam rectos ausus iambos
edere, nunc lusi somno velut excitus arto,
qua data porta inter geminas, quae somnia servant.
Cornea nec nobis patuit, nec prorsus eburna
emissus cecini falsis insomnia verbis.